

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 12. lin. 13. aperiatur , legi aporiatur. 35. 15. indicium , iudicium.
73. 6. suggestiones , suggestions. 83. 16. poluerint , potuerint. 135. 16. Co-
pernicis , Copernici. 208. destinate , destinatus. 264. 21. Cypriani , Hilarii.
268. 3. prae excellentia , pra excellentiam. 304. acceperi , acceperis.

¶Vt quid vero alia , quae sane deprehendimus , erratula indicasse , cum
ea iectu oculi a qualibet animaduerti possint et emendari ?



INSTITUTION. THEOLOGICAR. PARS ALTERA

DE DEO QUA RERVM EST PRINCIPIVM
ET FINIS.

LIBER I. DE OPIFICIO SEX PRIORVM MUNDI dierum.

Argumentum hoc , quod Scripturae Sacrae Interpretes fa-
cultatis suas viribus , iuribusque iure merito adtribuunt ,
eo pacto a nobis hic discutiendum erit , quo , ad ea per-
tractanda quae nostris Institutionibus praestabilitus ordo
expostulat , ex ejus elucidatione reseretur aditus . Paucis
itaque rem absolvemus ; calamum insuper ita moderantes , ut varias
atque inuidem pugnantes Patrum , Interpretum , Theologorum , ac
Philosophorum etiam de hac vna re sententias referentes , ne de vna
quidem nostrum proferamus iudicium , nec ullam notemus nisi talis

Tom. II.

A

il-

INSTITUTIONVM THEOLOGICARVM

² illa fuerit , quae Dei verbo scripto , aut tradito , auctoritatib[us] Ecclesiae , vel etiam naturae rationi manifeste contrarietur . Non enim sumus adeo arrogantes et elati , vt vel de egregiis , spectatissimisque Viris sententiam ferre audemus , vel Fidei , ac Religioni iniuriam fieri patiamur , atque probemus . Sed iam ad instituta pergamus .

CAPVT I.

Vnde nam vera ac certa creationis historia petenda sit demonstratur. Origenis interpretandi ratio notatur.

Mosis de rerum creatione narratio ceteris omnibus , velut sola certa , praferenda est .

Propositionem istam eo tantum sensu demonstrare pergimus , vt stabiliamus , regulis bonae Critices seruatis , amplectendam esse Mosai- canam de mundi rerumque omnium primordiis narrationem , prae variis AEgyptiorum , Chaldaeorum , Graecorumque Historiis : libros enim Mosis diuina auctoritate praeditos euincere alterius loci ac temporis est .

Ac primo quidem illud vt certum , exploratumque tenendum , Mosem libri Genesios vere auctorem esse , nisi totam humanam fidem pessundare velimus , nihilque in humanis literis rati habere . Non modo enim Christianorum ac Hebraeorum , sed et omnium ferme AEgyptiorum , Chaldaeorum , Graecorumque Historiis : Poetarum Ethnicorum Philosophorum , Oratorum , Historicorum , ac P[ro]erum consensio haec est ; nec magis vniquam de hoc apud Hebraeos atque Christianos dubitatum , quam de Tullianis , ac Virgilianis libris apud Romanos . Quam vero firmum sit hoc argumenti genus , ex omnium gentium , ac saeculorum sibimet succendentium contestatione perpetua sumptum , Augustinus docet , ipso utens ad adserendam librorum noui foederis sinceritatem (1) .

Mosem autem libri Genesios Scriptorem alii quibuscumque Scriptoribus antiquorem esse probant multis Clemens Alexandrinus , et Cyrilus (2) ; id quod ad liquidum paene deduxit Cl. Daniel Huetius Abbrincensis Episcopus (3) , qui , aduersitatis vnde prophanae eruditus monumentis , ostendit , Mosem , qui leges Hebraeis tulit , Scriptoris

pro-

(1) Lib. xxxiii. contra Faustum
cap. 6.

(2) In 1. Stromaton. Aduersus Julian.
(3) Demonst. Euang. Prop. 4.

LIBER I. CAP. I.

3

ptorum omnium esse vetustissimum , ex cuius deinceps Pentateuchō totam suam Theologiam AEgyptii , Persae , Indi , Thraces , Germani , Galli , Britanni , Hispani , Graeci in primis , et Romani hause- runt ; in quam tamen absurdā multa , ac fabulosa de sua penu gentes istae intulerunt . Vel hoc vno itaque arguento Mosis antiquitas abunde probata relinqu potest . Plura nihilominus alia persecutur praestantissimus Theologus Ioann. Laurentius Berti (4) , et ante illum Grotius (5) ; quae piger transcribere . Consulantur corun- dem scripta .

Iam vero probi , minimeque fallacis Scriptoris notas in Mose deprehendere promptum et facillimum est , adeo vt absque rationis iniuria fides illi nequeat abrogari . Quid enim ipsa seuerior Critices in Mose scribentes desiderare poterit vt contenta sit ? Eius siquidem stylus non fucatus est , non fimbriis luxuriantis orationis incedens , sed simplex , grauis , atque primigeniae linguae phras[is] , sententiis , et nativis idiotismis plenus : humilis deinde , talia narrans , quae et obscuram ipsius Scriptoris generationem , ceteraque sua , suaque gentis peccata patefaciunt : ex quo aperte deductur , vt lepide Grotius ; „nec sua gloriae , nec suorum commodis cum studuisse , quum et „peccata sua , sursumque , quae dissimilare poterat , ipse tradide- „rit , et regni , Sacerdotique dignitatem aliis adsignauerit , sua poste- „ritate in Leuitarum plebem redacta ; quae omnia satis ostendunt , „nihil ei caussae fuisse , cur mentiretur ; sicut nec fucata , aut ille- „cembrosa vtritur oratione , qualis mendacio fidem impetrare solet , sed „et simplici , et conueniente rei ingenio“ . Addit vero Grotius ipse ad narrationis Mosaicae veracitatem amplius comprobandum , vetustissimam apud omnes gentes famam ita habuisse , vt Mosis scripta praedicant , adeo vt quae ille de mundi origine scripta reliqui , ea- dem sint et in antiquissimis Phoenicum historiis , quas a Sancho- niathone collectas vertit Philo Biblius , et in Indorum , AEgyptiorum , aliorumque scriptis .

Hoc tamen Grotii postremum argumentum , quum ad Mosis antiquitatem probandam sit aptissimum , eoque proinde nos cum Huetio vslimur ; ad confirmandam tamen ipsius veracitatem , nostro quidem iudicio , non multum conferit . Quamquam enim illud nobis ratum sit , quod Iosephus scribit (6) ; „veracis historiae indicium est ,

A 2

„si

(4) Lib. xi. cap. 1.

(5) Lib. i. de Verit. Religionis

Christ. §. xv. et xvi. et in Notis.

(6) Lib. i. cont Appionem.

„si de rebus iisdem omnes eadem dicant, et scribant“, nemo tamen non intelligit tunc solum hoc vere dictum esse, quum plures, vel coaeui, vel subparcs eadem narrant, quod vel suis ipsimet oculis ea excepint, vel a fide dignis audierint: nam si, ut egregie Melchior Canus (7) aiebat, in duorum ore, vel trium stat omne verbum, pluribus eiusmodi rem eandem olim gestam contestantibus abrogare non potest fidem, nisi qui communem hominum sensum exuerit, et humanorum iudiciorum potissimum instrumenta, hoc est, testimonia reiecerit: at qui a re gesta longissime absunt, queaque de illa tradunt, a superiori aliquo mutuati dumtaxat sunt, ii plurium testium in idem sibi probe cognitum consentientium loco non sunt habendi, nec maior illorum auctoritas, quam illius, quem excipserunt: quare quum quaecumque a priscis Philosophis, Historicis, ac Poetis de mundi primordiis scripta legimus, a Mose hausta certissime sint, qualiscumque haec eorum cum Mose consensio ad confirmandam eius veritatem minus efficax est. Comprobare sumnum potest, quod paulo superius diximus, visum illum Scriptoribus Ethniciis probum, minimeque fallacem, nam imitati illum non essent, si commentitia, et filia ab eo scribi putassent.

Sed Origenes unus est, qui non falso tantum, verum et periculose opinatur, Mosem nihil corporeum narratione sua comprehendere, sed intelligibilia omnia, et a sensibus remota, quae tamen sensibilibus rebus, velut figuris adumbrantur: atque hoc pacto totam hanc mundi nascentis historiam figuratam, et allegoricam esse docet; tamquam absurde quis sentiat, qui, quum Deum dixisse legit
Fiat lux, lucem illam significari putet, quam oculis adspicimus: simile quid de ceteris. Qua ludificatione Mosaicam de mundo oriente narrationem peruertere conatur. Errorem vero, quem hic obiter notare volumus, obpugnat Epiphanius (8), quas de Paradiso, ac primi hominis creatione in Genesis initio scripta sunt, reuera facta esse demonstrans. Nos id propriis in locis agemus. Interim hoc uniuersitate statim: quae de mundi creatione sex diertum spatio absoluta a Mose dicta sunt, et esse reuera gesta, et ab illo historico more esse descripta: ac tantum ab eo absumus, vt putemus, nullam in tota illa narratione nisi corporearum rerum fieri mentionem. De Angelis enim (licet tunc quoque et illi conditi sint) Mosem omnino tacuisse, ex eo repetit Chey sostenimus (9), quod „quum ad Iudeos

(7) Lib. xi. cap. 4. (8) Haeres. xxiv. cc. in Ancorato. (9) Hom. III. in Genesim.

„daeos verba faceret, qui praesentibus perdite erant adfixi, nec intelligibile quidquam imaginari poterant, ab sensibilibus illos interim ad viuissorum opificem prouehit“. Quamuis itaque simplex, nec adfectata Mosis ista narratio sit; rerum tamen maximarum, excellentium, atque ad contemplandum altissimarum tractationem continet; quam Mose praeceun, insequemur, posteaquam Religionis hostium argumenta soluta fuerint.

CAPVT II.

Illorum diluit argументa, qui Mosaicae narrationi refragantur.

Multa sunt quae increduli opponunt, vt falsam, nulliusque auctoritatis Mosis narrationem ostendant. Potiora diluamus. Ac primo quidem omnia pro suo arbitratu negant, Mosem scilicet, libri Genesios auctorem esse; librum hunc quo fertur tempore scriptum fuisse; vniquam Mosem exitisse. Deinde argumentantur: Moses non nisi ineptissime antiquior ceteris Scriptoribus dicitur; multis enim annorum millibus Hebraeorum nativitatem praecessit AEgyptiorum gens vetustissima, vt vel ex solis Dynastis a Iulio Africano, et Eusebio conscriptis coniici potest: sed et Mercurii Trismegisti libri, quorum auctor (qualiscumque ille sit) pluribus ante Mosem saeculis vixisse creditur, id suadent: quin etiam legimus Act. vii. Mosem ipsum eruditum *omni sapientia AEgyptiorum* fuisse. Alia similia recordantur.

Addunt: Moses eximus fuit fraudum structor, nec a mendacis temperauit. In cap. siquidem iv. Genesios Cainum dicit ciuitatem Henoch edificasse, quum vix quatuor homines viuerent. In xxxvi. meminit Regum Israel, quorum primus fuit Saul; et cap. xii. mentionem facit Chananaeorum qui sua aetate nondum exterminati erant, velut populorum vix memoria superstitione.

Ad haec: Manichaeorum argumenta usurpat, vt probent Genesis librum auctore diabolo editum esse: innumerâ enim, iniquiunt, ac horrenda sclera celebrat, nempe, Loth cum filiabus concubatum, Iudea cum Thamar, Iacobi cum germanis sorotibus, Abrahae simul cum vxore, et cum pellice, aliaque plura apud Faustum.

Tandem: Genesios auctori Ethnicos aliquot Scriptores opponunt,

*legad
convenit
an 1.2.
P.367.
2a colun.*

ex quorum calculis patet, mundum multo vetustiorem esse, quam Moses tradidit; produnt enim vetustissimae AEgyptiorum, Chaldaeorum, et Assyriorum historiae floruisse apud Nationes istas potentissima regna diu ante tempus, quo Moses mundi exordia consignavit: vnde eius chronologia fallax, aut saltem incerta est; atque inepta idcirco argumenta, quae inde ducuntur. Haec obliuiciunt.

Ad primum vero, etsi maxime ridiculum illud sit, et a cordato contemnendum, quo tamen magis id ipsum pareat, respondemus: debuisse incredulos id quod pernegant, rationibus ac momentis fulcire; quod quum ipsi haud praestent, sed nec praestare valent, nihili eorum dicta habenda sunt. Contra vero nos quae de Mosis existentia ac libri Genesios formatione, deque aspectabilis mundi huius exordii, ac incrementis adfirmamus, non ea tantum dicimus, sed adeo firmis rationibus comprobamus, vi qui in his addubitet, vel isthaec neger, dubitet, aut neget oportet, Cyrum ex. gr., Alexandrum, Pompeium, imo Iudeorum gentem extitisse vnguam, Caesarum suorum commentariorum parentem esse, aliaque id genus sexcenta; quod certe qui faceret, velut insanus, ac delirus iure optimo omnium ludibrio pateret. Recolantur quae in probationibus discebamus. Quod autem momentorum nostrorum euidentiam incredibili relicant, hoc vel ideo fit, quod eam haud percipient, vel quod perceptam improbent; si vero ob primum ipsam relicant, nulla sane eorum habenda ratio est, velut hominum, quibus mens nulla est: si ob secundum, eorum erat declarare cur eam improbent, aut validiora momenta adducere, quibus ab adsensu avocentur; sed illi ex iis proculdubio sunt, in quibus scholae praeiudicia, partium studium, ac falsa honoris idea animum ita in transuersum agunt, vt veritatibus euidentissimis tenebras offundere conentur, neque clarissimis demonstrationibus cedant: excuso siquidem pietatis ac religiosi iugo, nihil est quod non moliatur voluntas depravata ad animi iudicium peruerendum.

Quod secundo loco adducunt de vetustissima AEgyptiorum origine, mendacissima vanitas est: «in quibus enim libris, ait Augustinus (1), istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia litteras magistra Iside didicerunt? Non enim parvus est in historia Varro, qui hoc prodidit, quod a litterarum etiam diuinarum veritate non dissonat». Supputatio itaque AEgyptia-

(1) Lib. xviii. de Civit. Dei, cap. 40.

ptiaci aeui tot annorum millia comprehendens, falsa, vel ipso Augustino teste, deprehenditur. Verum stabilito, quod AEgyptiorum anni quatuor dumtaxat mensum fuere, et Dynastiae collaterales, et implicatae, facilime historia AEgyptiorum conciliari cum sacra potest, et Mercurii Trismegisti antiquitas ad tempora posteriora coarctari. Huetius deinde auctor est, vetustissimum Mercurium Mosem esse: nos vero hoc nomine cultum Iubal patrem «canentium cithara et organo» legimus.

Quod autem Mercurius Trismegistus libros conscriperit, Critici omnes purum putumque commentum arbitrantur; quibus et nos adhaeremus; quin iniurii propterea Patribus simus, qui libros huiusmodi aduersus gentes saepe laudant: euenisse itaque nobis videtur quod Iamblicus scribit (2), quod nempe, quum veteres crederent Mercurium primo litteras inuenisse, Scriptores AEgyptii omnes libros, omniaque commentaria vetustissimi Mercurii nomine cohonestabant, eidem suae sapientiae inuenta consecrantes. Hinc diuinare haud possumus a quo Mercurii opera, quae Patres plurimum laudant, edita sint; sed Mosis actate posteriora illa esse ex eo coniicimus, quod in Poemandro praesertim legimus, mundi scilicet, genesis, vt a Mose refertur.

Fatemur deinceps Mosem omni AEgyptiorum sapientia instratum fuisse, sive fuerint Astronomicae scientiae litteris hieroglyphicis traditae, sive alias etiam illuc a Iosepho filio Iacob translateae; at inter AEgyptios nullam fuisse sapientiam hebraicam antiquorem contendimus, a Mose ad haec usque tempora custoditam.

Tertium impiissimam criminacionem continet, quam neruose depellit Iaquelot (3), eiusdem auctores non impietas solum, sed et stultitiae reuincens. Nos breuius respondemus, nulla in Genesios libro contineri menda, nullasque fabellas: nam quod cap. iv. de Caino dicitur, quo sensu illud verum esse potuerit, demonstrat Augustinus (4), addens plures etiam poruisse eum ciuitates condere. Enim vita primorum hominum tam longa fuit, vt vnius hominis filii possent etiam amplissimas ciuitates aedificare: quin Henoch, cuius nomine ciuitatem, quam eius pater aedificauerat, vocari voluit, non fuit vnicus Caini filius, sed a quo magna illius posteritas orta est. In cap. vero xxxvi. Reges Israel Moses futuros praevidit diuinac re-

ue-

(2) In cap. 1. de Mysteriis.

(3) In Op. de librorum Veter. et Nou. Testament. veritate, ac

inspirat. Vol. 1. cap. 12.

(4) Lib. xv. de Ciuitat. Dei. cap. 8.

uelationis beneficio , vt ex cap. xvii. Deuteronomii liquet. In xn. item cap. id tantum Moses adserit , Chananeos in ea terra sedem fixisse quando illuc adpulit Abraham ; quod certe verum est , quantumuis eo scribente nondum fuissent expulsi.

Ad quartam obiectiōnē ex Manichaeorum argumentis compaginatam , respondendum primo : Genesios librum multorum quidem criminā referre , non tamē ea laudare : nos autem non hominū delicta , ac scelera , sed sacrorum librorum veracitatem , auctoritatēm que defendimus. Deinde respondendum ad singula : atque ad Loth quod spectat , dicendum , neque ipsum , neque filias a nobis paenitus absolui ; quod tamen in illorū vita fuit flagitium , dum in Scriptura narratur , prophētia est. Redarguēamus autem maxime Loth ob ebrietatem , qua male vntes lege p̄aefigurabat. Quamquam excusari aliqua ratione cum eius ebrietas , tunc puellarū licentia possint ; hac siquidem generis humani conseruationem quaerebant , atque ignorantes quoisque ignis deuastauerit , iudicabant nulos alios extare viros; Pater vero vt morem filiabus gereret crebra vina miscentibus , ut illarū tristitiam leuarer , ignarus tumultus eusit. Verumtamen paucis dicendum : narrata ista sunt , non laudata.

De Iudea cum nru concubitu fuisse illum fornicatorum , et in lege Mosis prohibitum iudicamus ; sed idem repetendum : narrata ista sunt , non laudata.

Iacob autem , quoniam non lasciviendi , sed gignendi caussa ad sorores , sicut et ad alias vxores accessit , neutiquam peccauit , sed potius iura naturae seruauit ; praeſertim quum id tunc temporis factum sit , quum Polygamia haud erat prohibita.

Quid vero Abraham ? Reuera ille sibi ex Agar procreauit filios , quia ipsa Sarai filios exoptans , ac se sterilem videns , ancillæ vteri foeditatem in vsum sui iuris vindicauit , non quidem viro concupiscenti seruens , sed iubens obediens ; atque credens Abraham vicissim hoc Saram ex Dei nutu voluisse , coniugali potestati obtemperauit.

Vltimum quod adducunt validissime olim refutauit Augustinus dicens (5) : „alii namque vanissima praeſumptione dixerunt , plus quam centum annorum millia numerari , ex quo AEgyptus rationes syderum comprehendit : alii iactant , se comprehensa monimentis habere quadringtona septuaginta annorum millia ; in quibus au-

”tem

(5) Lib. xviii. de Civit. Dei , cap. 20.

”tem libris istum numerum collegerunt , qui non multum ante annorum duo millia litteras , Magistra Iside , didicerunt ? Non enim parvus est in historia Varro , qui hoc prodidit , quod a litterarum etiam diuinarum veritate non dissonat . In fabularum itaque censum , Varrone iudice , coniencia quaecumque a prophaniis historiis in litteras relata sunt ante Olympiadem primam , quae a Petauo ann. m. 3208. consignatur , tamquam ab omni veri specie aliena.

CAPVT III.

Num dies creationis naturales fuerint , an allegorici , in utramque partem discutitur.

*A*pertissimum ergo quum sit quod Moses narrat , Deum scilicet res omnes sex dierum spatio condidisse ; perarduum tamen , ac per difficile definire , an dies hi naturales , proprieque dicti , an allegorici fuerint , atque mystici. Quamvis enim Patrium , Interpretum , ac Theologorum maior numerus sentiat , dies hos naturales fuisse , et spatium 24. horarum percurrentes , Augustinus tamen , cuius vel maxima est in Ecclesia auctoritas , quam incredibilis ingenii celeritas , eruditio admiranda , atque eximia vitas sanctitas compararunt , quique data opera in huius rei inquisitione intendit , agnoscens , Mosaicos hos dies , si naturales , nostrorumque similes intelligentur , grauissimis obrui difficultatibus , distinguendos scripsit per diuersas cognitiones Angelorum sanctorum. Acutissima sane , dignaque Augustino sententia , quam his verbis exponit S. Thomas (1) : „per hos ergo sex dies , quibus legitur Deus cuncta fecisse , intelligit Augustinus non hos ysitatos dies , qui Solis cursu peraguntur , quum Sol quarto die factus esse legatur ; sed vnam diem , id est , cognitionem angelicam sex rerum generibus praesentatam. Vnde sicut praesentatio lucis corporalis super haec inferiora , diem facit temporalem , ita praesentatio lucis spiritualis intellectus angelici super res creatas , diem facit spiritualiem : vt secundum hoc isti dies distinguantur , secundum quod lumen intellectus angelici sex rerum generibus cognoscendis applicatur , vt prima dies sit cognitione primi diuini operis ; secunda dies cognitione secundi diuini operis , et sic de aliis. Et sic distinguuntur sex illi dies non secundum ordinem temporis , aut suc-

Tom. II.

B

”ces-

(1) Quaest. iv. de Pot. art. 2. ad 8.

1.P. 9. 72.
art. 2.

cessionis rerum , sed secundum ordinem naturalem rerum cognitam , prout vnum opus cognitum est prius altero , ordine naturae . „Et sicut in die naturali , et materiali mane est principium diei , et vesperae est finis , et terminus ; ita cognitio vniuersiusque operis secundum suum esse primordiale , prout videlicet habet esse in Verbo , dicitur *matutina* : cognitio autem eius secundum esse ultimum , prout subsistit in propria natura , dicitur *vespertina* : nam principium cuiuslibet rei est in sua causa a qua fluit ; terminus autem ipsius est in ipsa re in qua recipitur , et ad quam actio causae terminatur : vnde primitiva alicuius cognitio est secundum quod res in sua causa a qua fluit , consideratur : vtrum autem rei cognitio est secundum quod in se ipsa consideratur . Quum ergo a Verbo aeterno fluat esse rerum , sicut a quadam primordiali principio , et hic effluxus terminetur ad esse rerum , quod habent in propria natura ; sequitur , quod cognitio rerum in Verbo , quae ad esse primitivum , et primordiale carum pertinet , dici debeat *matutina* per similitudinem ad mane , quod est principium diei ; cognitio vero rei in propria natura , quae pertinet ad esse eius ultimum et terminatum , dici debet *vespertina* ; quia vespa est terminus diei . Vnde sicut sex rerum genera ad cognitionem angelicam relata distinguuntur dies ; ita unitas rei cognitae , quae diuersis cognitionibus cognosci potest , unitatem diei constituit , et diem per vespere et mane distinguit .

Haec S. Thomas , quibus acutissimam Augustini sententiam oculos ponit . Sed quale eius iudicium ? De vtraque interpretatione loquens in II. Sententiarum (2) , sic de Augustiniana pronuntiat : „prior scilicet Augustini rationabilior est , et magis ab irrisione infidelium Scripturas defendens . „Additque haec plane verba : „haec opinio plus mihi placet . „Loco tamen ante citato de Pot. in corp. haec prudentissime scribit : „harum expositionum prima , scilicet Augustini , est subtilior , magis ab irrisione infidelium Scripturam defendens : „secunda vero , scilicet aliorum sanctorum , est planior , et magis verbis litteras quantum ad superficiem consona : quia tamen neutra eas litterae patitur , ideo ut neutri harum expositionum praeiudicetur , vtramque opinionem sustinens , vtriusque rationibus respondendum est . „Demum in Summa Theologica , postremo nempe eius oper-

(2) Dist. XII. quæst. I. art. 2.

opere , quum primo declarasset (3) , duas has opiniones , communem scilicet aliorum Patrum , et peculiarem hanc Augustini multum quidem inuicem differre si compararentur ad litteram , non admundum vero si ad modum productionis rerum referantur , concludit : „vt igitur neutri sententiae præiudicetur , vtriusque rationibus respondendum est .

Egregium sane , præclarumque reverentiac erga Veteres Patres exemplum Theologia omnibus reliquit S. Thomas ; quod qui sequuntur sunt maximam sibi comparant gloriam . Fuere autem ex istorum numero Viri ex omni instituto clarissimi Franciscus Maccedo , Sixtus Senensis , Cardinalis Norisius , aliique multi , quos inter Hyacinthus Serry non semel pro ea in Patauina Academia disputauit .

Sed et exitere alii , qui licetissime quidem , et petulantius quam et veritas ferret , et homines religiosos deceret in tanti Doctoris sententiam debacchati sunt . Eam Ludouicus Molina insectatur (4) , perinde ac si Scripturarum veritati contrafetur , eademque infidelium ludibriis obiiciat . Illam vocat Cornelius a Lapide (5) erroneam . Eandem a Doctoribus catholicis communiter reliqui Moraines falsissime scribit (6) . Salianus (7) illam a Scripturis alienam esse pronuntiat , vim iidem inferre , et communi sensu , ac Patrum interpretationi aduersari . Tandem Rodericus de Arriga haec de illa pronuntiat (8) : „expli- catio haec communiter censeretur ab omnibus improbabilis : nec ego dubito , quin si Augustinum non haberet auctorem , et patronum manifeste damnata fuisset ut haeretica . „Haec homines in Magnum Augustinum præclarum Ecclesiae lumen male animati fundere ausi sunt ; quos audaces inuidosque aptius dicemus , quam laude doctrinae dignos .

Nec dein nobis adridet consilium ab Estio , Natali Alex. iuniori busque aliis Thomistis sequutum , tamquam minus probabilem hanc sententiam suo auctori relinquentes ; sed vel ipso Augustino Magistro (9) , eo pacto ipsam communire tentabimus , ut et aliam oppositionem defendi posse concedamus . Ergo quam S. Thomas viam ingressus est , vtriusque scilicet rationibus respondendi , ut neutri sententiae præiudicetur , et nos sequemur ; ut quemadmodum ille , nos Augu-

(3) Prima Part. quæst. LXXIV. artic. 1.
(4) In Tract. de Oper. sex dier.
(5) In Comment. in 1. Gen. cap. 1.
(6) In Anti-Iansenio disput. 12.

(7) In Annalibus.
(8) In Tract. de Oper. sex dier. disp. xxviii. sect. 1. subsect. 1.
(9) De Gen. ad litt. lib. v. cap. 28.-et lib. xi. de Caus. Dei. cap. 7.

stinianos probemus, non sine eximia nominis, ac studii nostri commendatione. Nec enim vt Canus scribebat (9), doctior vir fuit Augustino quisquam, nec clarior.

Iam vero argumenta quibus suam ille sententiam firmat, ac ex ipso qui eum sequuntur Theologi, producimus. Primum, et illud quidem tritum ac vulgatissimum est: legimus in Ecclesiastico cap. 18. „Qui vult in aeternum creavit omnia simul.“ Non ergo plurium dictum interruvo, sed vno die, vnoque momento omnia a Deo Opt. Max. producta sunt. Atque hanc esse genuinam verborum Eccl. intelligentiam ex eo potissimum constat, quod comparatio hoc capite instituitur inter Dei omnipotentiam et aeternitatem, hominisque infinitatem, in eo posita, quod homo omnia simul perficere, sed vno opere consummato aliud adgredi, quo demum perfectio aperatur, seu obstupescit se plurima praetermissee, ac in plurimis peccasse. Dicitur siquidem vers. 6. „Cum consummauerit homo, tunc incipiet: et cum quieuerit aporiabitur.“ Scilicet homo haud potest simul omnia perficere, sed postquam opus vnum consummauerit aliud adgredi: quum e contrario Deus Opifex supremus vno momento cuncta fuerit operatus. Vel ergo Eccl. comparatio infirma, debilis, fractaque est; vel ex ea desumptum argumentum pro Augustini sententia robustissimum euadat necesse est.

Neque eneruatur illud dicendo: proprium operandi modum Dei talem esse, quamlibet Eccl. verba describunt, dummodo tamen ita Deus ipse velit operari: at noluit certe in primordiali rerum creatione, sed sex dierum naturalium viuensi productionem consummavit. Hanc, me quidem arguente, eludendi argumenti rationem, suggerebat propugnanti, quidam haud infimae notae Theologus iudicio aliorum, suo autem supremae: verum quando eius nomini parcimus, non possumus aduersus eiusdem responsonem non inuehi, eisdem quibus occasione nacta fuimus exequuti momentis. Et primo quidem, syndenam illud colligere poterimus, noluisse Deum Opt. Max. suo proprio, ac peculiari operandi modo vti in rerum productione, atque humanum modum assumpisse? Adsignent, anabimus, quibus ista placent: sed forte eorum aliquis Dei consiliarius fuit?

Deinde: quum omnia vno momento perficere, maxima, ac infinita perfectio sit, inuerisimile vndequaque adparet noluisse sic Deum

ope-

(9) Lib. x. cap. 5.

operari, vt more hominum, vno perfecto opere, ad aliud convertere, quod summa imperfectio ac debilitas est.

Praeferenda demum litteralis Ecclesiastici attestatio, priuatae cuiuscumque intelligentiae, praesertim si litterae non sit conformis. Friuola itaque infirmaque responso illa est.

Secundum argumentum est: generationes omnes a Mose enarratae Geneseos cap. II. v. 4. ad vnum, cumdemque diem spectant; ait enim: „istae sunt generationes Coeli et Terrae, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Coelum et Terram: virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, antequam germinaret.“ Non ergo temporis intersuit spatium inter primum diem, ceterosque creationis.

Tertium sit: saltim tres priores dies naturales non fuere: constitutur siquidem dies naturalis ex luce Solis; huncque non nisi die quarta Deus prodixit: non ergo ante Solis creationem tempora erant, non dies, non horum numerus, vel distinctio. Legimus siquidem v. 14. „Fiant luminaria in firmamento coeli, et diuidant diem ac noctem; et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, vt luceant in firmamento coeli, et illuminent terram.“

Postremum argumentum est: creaturae omnes sex dierum spatio, vt ponitur, productae, nequitiam sunt inuicem discreteae. Creavit enim Deus tertia die ligna fructifera, herbamque viarentem; sexta vero hominem masculum simul, et foeminam: at fructifera ligna, omnisque herba illo die producta nihil aliud sunt, quam terra prima die creata, seminibus grauidata; neque mulier die sexta creatrix distincta a viro est, sed in eius costa latitans; quin nec homo illa die creatus aliud est a limo terrae. Vt autem sex creationis dies temporis spatio disinguarentur, necessum erat quod singula in his diebus producta distincta pariter essent: omnis enim differentia ex parte termini desumenda est; quum ex parte Dei immutabilis nullum in operationibus discrimen deriuari possit. Alia plurima argumenta sunt, quae pro Augustini sententia faciunt: potiora adducta sunt.

Aduersae autem partis Theologi sic argumentantur. Primo: S. Augustini sententia: quum intrinseca, tum extrinseca caret probabilitate: prima quidem, quae petitur a ratione. Si enim, vt arguunt ipsi, Deus omnia condidisset in instanti; ex eo maxime, quod Gen. II. numero singulari dicitur *in die*, Eccl. xviii. particula *simul*, et Job xl.

Be-

Behemoth, id est, doemonem vna cum homine creatum; at ista nullius roboris sunt; patiuntur siquidem variam, et multiplicem intelligentiam; quum vel de tempore plures dies complecent, vel de creatione quantum ad speciem rerum accipi soleant: quae viderut esse S. Gregorii sententia his verbis expressa (10). »Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est; et quod simul extitit per substantiam materiae, non simul apparuit per speciem formae.« Behemoth item non doemonem, sed elephantem, aut Cete Nili intellexere nonnulli.

Sed et extrinseca auctoritate est destinata: nam huic opinioni Doctores omnes, vno Augustino excepto, contrariantur. Quin illius auctoritas, alias summa, ad thesim huiusmodi propugnandam haud videtur sufficere; ipse siquidem sui ipsius locupletissimus interpres, apertissime declarat (11), in libris super Genesim, quo in opere de re illa verba fecerat, »plura quæsita, quam inuenta, et eorum quae inuenta sunt, pauciora firmata.« Rectissime ergo illi iudicant, qui praecellentes ingenii sui acumine mystice dies illos ab Augustino expositos dicunt.

Secundum argumentum hoc est: quae simultaneam rerum creationem tenet sententia, historicae Genesios narrationi contraria est. Primo quidem ex eo capite, quod litteraliter accipendum in sacra historia sit siquidem a veritate non abhorret: deinde etiam, quod quemadmodum absque erroris nota non potuit vnu Origenes ad translatam significationem deportare res a Deo creatas, nec nos ab errore eiusmo di immunes essemus, dies quibus ipsae res perfectae sunt, similiter transferentes. Accedit et illud, quod quim a Mose creationis historia eo fine fuerit descripta; vt rudem et illitteratum populum erudiret, si sub littera sensum alium ab ipsa vere alienum obcludere studiasset, fallax et ille fuisse, et erroris viam proposuisset.

Tertio loco adducunt verba, quibus præceptae ab ipso sanctificationis Sabbati caussam Deus reddidit Exod. xx. v. 2. Haec illa: »sex enim diebus fecit Dominus Coelum et Terram, et requieuit in die septimo.« Et cap. xxxi. v. 17. »Sex enim diebus fecit Dominus Coelum et terram, et in septimo ab opere cessauit.« At haec inepte nimis dicerentur, si creationis dies angelici forent, seu per diuersas Angelorum sanctorum perceptiones distincti: non enim esset iusta et adcommodata comparatio hos inter et sex naturales dies,

qui-

(10) Lib. xxxiv. cap. 10. (11) Lib. I. Retract. cap. 18. et Lib. II. cap. 24.

quibus fas erat operari, iuxta illud: »sex diebus faciēs opus: ergo fuere dies illi corporei, ac per mane et vesperam distincti.

Argunt insuper ex incommodo atque concludunt; ex S. Augustini sententia sequi, exitisse simul lucem et tenebras, diem et noctem, Angelorum meritum et beatitudinem, quod absurdum maximum absdubio est.

Tandem proferunt: congruum magis fuisse, Deum res creare sex dierum naturalium spatio; hoc enim pacto aprius ostendere valuit Deus, operari se perfectissima intelligentia, et libertate quantum vult, et prout vult suam adPLICando virtutem, non impetu quodam cæco et necessario, vt Philosophi nonnulli delirarunt: operatum ergo sic fuisse reciuis sentiendum est. Haec ex multis adduxisse sufficiat.

Iam vero, quod propositum, utriusque partis momenta soluamus reliquum est. Primo itaque ab Augustini discipulis obiecto obuiam solutionem adhibemus: omnia nempe, simul creata ab Ecclesiastico dici, quatenus vniuersaliter, et communiter creavit Deus creaturas omnes; vel creata simul quantum ad materiam, non autem quantum ad specierum singularium productionem: fatemur insuper, ac probamus institutam eo loco Scripturæ comparationem, quam et communite nostris animadversionibus studiuimus; eam tamen expositam præcipue volumus, quae secundo loco data fuit, explicacione: eminet siquidem Dei omnipotentia præ humana infirmitate, in hoc potissimum, quod rerum omnium materiam vnico temporis momento ex nihilo fecerit, facturus similiter ex illa rerum species eodem momento ac virtute; quod haud fecit, »vt ordo diuinæ sapientiae in rerum institutione demonstraretur, quae res ex nihilo in esse producens, non statim post nihilum in ultima perfectione naturæ eas constituit.« »vt sic et eorum esse ostenderetur a Deo procedere, contra illos, qui ponunt materiam incretam; et nihilominus perfectionis rerum ipse Deus auctor adpareret, contra illos, qui rerum inferiorum formationem caussis aliis ascribunt», vt loquitur S. Thomas (12).

Secundi solutio haec est: verba illa *in die*, quae in citato textu legimus, idem omnino esse, ac in *tempore*; atque singulari numero plures dies significari, iuxta phrasim apud Hebraeos visitissimum.

Tertio occurunt dicendo: tres priores creationis dies luce primigenia fuisse distinctos, quam quidem prima die Deus creavit, quae-

(12) Quaest. iv. de Pot. art. 2.

quaecque splendorem suum diffundebat, seque rursum contrahebat; vt scribit Basilius (13).

Postremum nullius roboris a sententiae alterius adsertoribus existimatur: aiunt enim, quod licet verum sit quod argumento illo evincitur, rerum spectata materia, non sic vero illarum propria ac peculiari specie considerata. Neque negare audebit vilus, et fructifera ligna secundum suam speciem et formam quid diuersum esse a terra seminibus grauidata, et mulierem longe a costa illa differre, quae in primi hominis latere latitabat. Ita sententiae Augustinianae fundamenta eneuasse, qui ei contradicunt Theologi credunt.

Sed et Augustini discipuli ex alia parte contrariorum argumenta solvete, felici euentu adgrediuntur. Ad primum siquidem haec solidissime respondunt: Ecclesiastici verba exponna esse, vel de tempore plures dies complectente, vel de rerum creatione quantum ad materiam: neque responsioni officere Gregorii testimonium: distinguendae siquidem sunt res a Deo ex nihilo conditae, ac ex materia praexistenti formatae. Hae, virgulta nempe, pisces, iumenta, herbae, volucres, et homo exitere simul per substantiam, quatenus simul cum terra creatae sunt, et hoc sensu ad primam conditionem spectant. At quatenus in speciem suam exierunt, temporis interuallo et decursu factae sunt; quae sane productio illa non est, quae in I. Geneseos recensetur, sed alia cap. II. descripta, quaecque quotidie peragitur, dum herbae germinant, nascuntur arbores, animalia hominesque dignuntur. Itaque ad conditionem primam rerum, et quod ad materiam, et quod formam visibilem, pertinent Angeli, Coelum, terra, Sol, et sydera, quoniam non ex materia praexistente, sed ex nihilo conditae creaturae illae sunt; atque cum illis creaturae reliquae, quatenus cum illis simul potentialiter, vti dicitur, extiterunt. Ergo ratione inspecta, quae intrinsecam parit probabilitatem, Augustini opinio probabilis absdubio est.

Quid autem, si Doctorum numerus, et auctoritas queratur? Extrinsicam saltem probabilitatem habebit? Mirantur Augustini discipuli tali ab oppugnatoribus produci. Indubitate siquidem, hanc esse etiam aliorum plurimorum sententiam. Eam tradiderunt ante Augustinum Clemens Alexandrinus (14), Isidorus (15), Casiodorus (16), lu-

(11) Homil. II. in Hexamer.
(14) Lib. VI. Strom.

(15) Lib. I. de Sum. Bono, cap. 8.
(16) In I. Dju. Institution. cap. 22.

Iulius Africanus (17), Ambrosius (18), Gregorius (19), aliique. Eamdem post Augustinum amplexatos fuisse non paucos, supra dicebamus. Tribuitur tamen peculiari ratione Augustino, quoniam data opera in hanc disquisitionem mentem omnem intenderit, omnesque qui de re ista fuerant loquuti excelluerit, illos etiam qui post eum loquuti sunt. Neque sibi contrarius alicubi est S. Doctor. Non enim quae in Retractionum libro dixerat de his diebus sunt accipienda, sed de Abraham semine per Angelos in manu Mediatoris disposito, de Dei imagine per peccatum derelicta, de inferorum loco, aliquis, de quibus ibi disputationem instituerat. Intelligentur tamen: Quid inde concluditur? Quamquam ipse fateatur (ait Sextus Senensis) (20) plura a se quæsita, quam inventa, et ex inventis pauca firma; tamen tantus est in eis artum, disciplinarum et scientiarum omnium thesaurus, vt facile adiparet, neque eruditus, neque sublimius in expositione horum trium capitum, vel ante, vel post Augustini tempora prodiisse quidquam, nec deinceps futuris temporibus fortasse proditum. Quam vero interpretationem in lib. Gen. Augustinus scripscat, in magno opere de Civit. Dei etiam tradit, vt inde priorum librorum auctoritas magis commendaretur. At pro primo soluendo nimis multa dixisse videmus.

Secundum sic ordine suo dissoluunt. Ad primum dicunt, litteralem esse Augustini explicationem, non figuratam, quantumuis alter Hiacintho Toni visum fuerit (21): habet vero responsio isthaec Augustinum auctorem, vbi ait (22): ne quisquam arbitretur illud quod dixi de luce spirituali, et de condito die spirituali, cert. non iam proprie, sed quasi figurate et allegorice conuenire ad intelligentendum diem, et vesperam, et mane: sed aliter quidem quam in hac consuetudine quotidianæ lucis huius, et corporalis: non tamquam hic proprie, ibi figurare. Vbi enim melior, et certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non etiam verior vespera, et verius mane? Adpellati ergo figurata haec explicatio portent, si ad corporalem, et quotidianam lucem comparetur, quo sensu post Augustinum ipsum, illam Norisius adpellauit (23).

Hinc solutionem pro secundo hauriunt: quam enim hi dies pro-

(17) In aureo libello super Gen.
(18) Lib. I. in Hexam. cap. 3.
(19) Lib. XXXII. Mor. cap. 10.
(20) Lib. IV. Biblioth.

(21) Cap. ix.
(22) Lib. IV. de Genes. ad Litt. cap. 28.
(23) Vindicularum §. IX. cap. 4.

pri sint ac veri, non allegoric*1*, nihil obest ipsos constitui: Origenes vero, vt alio loco dicebas, absque ratione, immo contra ipsam rationem in eum deuenit errorem, vt res a Deo creatas per allegoriam exponeret, adeo vt nec proprie tales, nec vere illae essent: longe ergo distat Augustini opinio ab Origenia*no* errore.

Tertio respondent I. negando, rudi tantum, et ignaro populo tradidisse Mosem rerum creationis historiam: II. negant, ita plena et obvia esse eloqua diuina, vt a plebe percipi valeant. Negant III. absque viuae vocis oraculo, et mysteriorum traditione Iudeis sacram historiam propositam fuisse. Negant IV. interesse singulis Iudeorum cuiusmodi illi dies sint dignoscere; quum e contrario consonum magis Scripturarum maiestati, et profunditati sit nonnulla singulis proponere, alia etiam per Ecclesiae propositionem discere ad credendum.

Tertium argumentum plenam atque perfectam dies creationis inter, et dies hebdomadarum Hebraeorum comparisonem exquirere videatur: non tamen recre, quum dissimilis quedam comparatio sufficiens sit talis utique, qualis Sabbathum et requiem, quibus Deus dicitur ab omni opere cessasse inter et Sabbathum, requiemque, in quibus Hebrei ab omni opere seruili abstinent. Non enim impune dixerit aliquis Deum opere fessum ac defatigatum requieuisse, quemadmodum opus habent homines vt vires desperitas recuperent. Loquitur itaque Scriptura humano more, et quadam adtemperatione ad institutionem nostram, ait Iohannes Chrysostomus, dum de requie Domini verba facit (24).

Quartum multimode enervant Augustiniani de Angelis disserentes. Eorum doctrinae summa haec est: interfuerere re vera morulae, et instantia angelica a cognitione illorum vespertina ad matutinam, et via ad terminum; non indiguit tamen nostri temporis intervallo mens angelica vt se in Deum conuerteret; quantumvis verae causalityatis ordo interfuerit inter rerum cognitionem, et conuersionem in Deum.

Vltimo respondent dicentes, Mosem scribentem, mundum in tempore creatum fuisse; annos deinde et generationes a primo hominem exordientem; cuncta denique verbo, et mandato creata dicentem, omnem Philosophorum errorem de medio sustulisse. Quae quidem

(24) Homil. x. in Genesim.

dem omnia iuxta Augustini intelligentiam stabilita, aptius Dei libertatem, et omnipotentiam commendant, quam si dierum naturalium interuerso peracta dicantur: neque enim congruum Deo est, eum morte hominum operantem describere.

Ast virtuusque sententiae fundamentis potioribus propositis, atque solutis, caput quoque soluamus expedit.

CAPVT IV.

Opera sex priorum dierum summatis recenset. De Angelorum creatione obiter agit.

1.P.2.16.
ann. 3. Quas prima die Deus res creavit his verbis Moses enumerat: »in principio creauit Deus Coelum et Terram: terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi: et Spiritus Dei ferebatur super aquas; dixitque Deus: fiat lux, et facta est lux. »Et vidit Deus lucem quod esset bona: et diuisit lucem a tenebris. »Adpellauitque lucem diem, et tenebras noctem: factumque est vestere et mane dies vnuus. »Illiud autem Verbum in principio, ait S. Thomas (1), tripliciter exponitur ad excludendum tres errores: »quidam enim posuerunt, mundum semper fuisse, et tempus non habere principium, et ad hoc excludendum exponitur; in principio, scilicet, temporis. Quidam vero posuerunt, duo esse creationis principia, vnum bonorum, aliud malorum, et ad hoc excludendum exponitur, in principio, id est in Filio; sicut enim principium effectuum adproprietate Patri propter potentiam, ita principium exemplare adproprietate Filio propter Sapientiam, vt sicut dicitur, omnia in Sapientia fecisti, ita intelligatur, Deum omnia fecisse in principio, id est in Filio, secundum illud Apostoli ad Colos. i. In ipso scilicet Filio, condita sunt vniuersa. Alii vero dixerunt, corporalia esse creata a Deo mediabitibus creaturis spiritualibus, et ad hoc excludendum exponitur in principio creauit Deus Coelum et Terram, id est, ante omnia. Quatuor enim ponuntur simul creata, scilicet Coelum empyreum, materia corporalis, quae nomine terrae intelligitur, tempus, et natura angelica.«

Ex his S. Thomae verbis varia antiquorum praesertim Patrum C 2 in-

(1) Prima Parte quæst. xlvi. art. 3, in corp.

intelligentia de illo verbo *in principio colligitur*; quarum tamen similiorem, et ad Mosis scopum adcommodatiorem iudicamus, qua declaratur Deum *ante omnia Coelum et Terram fecisse*, seu quod in idem redit, nihil ante Coelum et Terram praecessisse; sed, quando ad procreandum Deus animum adiecit, omnium primum Coelum Terramque fecit.

Quid vero Coeli, terraque nomine, quae in principio creavit Deus, intelligendum veniat, non ita facile definiri poterit: multiplex enim est et varia Patrum acceptio, ut apud Sacrorum Bibliorum Interpretates legimus. Veterum plerique Coeli nomine summum Coelum sunt interpretati, quod nempe Angelorum, Beatorumque spirituum sedes est, quodque in Scripturis Coelum Coeli existimant dictum. Feruntur huius interpretationis auctores Philo Iudeus, Origenes, Basilius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, aliique plurimi. Censent alii, quorum opinio communior est, designatum a Mose Coeli nomine totum orbium coelestium systema, quod circa terram agi, vulgo creditur. In hanc iure Basilius, Gregorius Nissenus, et Ambrosius.

At his sententiis obstarere, quod firmamentum secunda die factum Moses commemorat, poterit, nisi S. Thomae explicatio p[re] oculis habeatur. »Dicendum, inquit (2), quod secundum Chrysostomum, «primo Moyses summarie dixit quid Deus fecit, praemittens: *in principio creavit Deus Coelum et Terram*: postea per partes explicitavit; sicut si quis dicat: hic artifex fecit domum istam, et postea subdat: primo fecit fundamenta, postea erexit parietes, territo superposuit tectum; et sic non oportet aliud coelum nos intelligere, quam dicitur, *in principio creavit Deus Coelum et Terram*, et quam dicitur, quod secunda die factum est firmamentum. Hanc interpretationem tradiderat antea Augustinus ex aliis sententiis (3).

Terrae deinde nominis quam varia item intelligentia! »Terra enim, ait D. Thomas (4), aliter accipitur in loco isto ab Augustino, et ab aliis Sanctis. Augustinus enim vult, quod nomine terrae et aquae significetur in hoc loco materia prima; non enim poterat Moyses rudi populo primam materiam exprimere, nisi sub similitu-

»di-

(2) Prima Parte, quæst. LXVIII. ar-

tic. 1. ad 1.

(3) Lib. XII. Confess. cap. 17.

(4) Prima Parte, quæst. LXVI. ar-

tic. 1. ad 1.

»dine rerum eis notarum: unde et sub multiplici similitudine cam exprimit, non vocans eam tantum aquam, vel tantum terram, ne videatur secundum rei veritatem materia prima esse vel terra, vel aqua: habet tamen similitudinem cum terra, in quantum subsistet formis, et cum aqua, in quantum apta est formari diuersis formis. Secundum hoc ergo dicitur terra inanis, et vacua, vel inuisibilis, et incomposita, quia materia per formam cognoscitur. »Vnde in se considerate dicitur inuisibilis, vel inanis, et eius potentia per formam repletur ... Alii vero Sancti per terram intelligent ipsum elementum: quae qualiter secundum eos erat informis, dictum est. (in corp. art.) Risum forsitan haec Recentioribus excitabunt: qui materiae primæ et formæ nomina iam ferre non possunt. Sed malum nos cum Augustino et Thoma, quam cum illis, loqui.

Super hanc autem terram inanem, et vacuam tenebrae erant, seu aqua multa, qua tellus erat obruta, tenebris offundebatur, nondum luce creata, et Spiritus Domini ferebatur super aquas, eas souendo, et viuificando ad similitudinem gallinae cubantis, vt Basilius ait (5) a S. Thoma relatus (6): qui quidem spiritus ex plurimorum Patrum auctoritate, et traditione constanti Spiritus Sanctus intelligitur; quamquam paucis aliis hic Domini Spiritus non alias ab aere, seu vento sit.

Fecit deinde Deus mandato, et imperio suo lucem, viditque *J. P. 67.*
p[ro]pos.
q. ante.
 quod esset bona: quam lucem non esse aliud ab igne, qui, Deo sic præcipiente, ex rudi mole iam condita erupit, splendoreque suo omnia collustravit Gregorio Nysseno, et Ioanni Damasceno visum est. »Quidam, vt S. Thomas ait (7), dicunt lucem illam fuisse quandam nubem lucidanam, quae postmodum facto Sole, in materia præiacentem reddit: sed istud non est conueniens: quia Scriptura in principio Genesis commemorat institutionem naturae, quae postmodum persisteret; unde non debet dici, quod aliquid tunc factum fuerit, quod postmodum esse desierit. Et ideo alii dicunt, quod illa nubes lucida adhuc remanet, et est coniuncta Soli, vt ab eo disceri non possit. Sed secundum hoc illa nubes superpersua remaneret: nihil autem est yanum in operibus Dei. Et ideo alii dicunt, quod ex illa nube formatum est corpus solis. Sed hoc etiam

(5) Homil. II. in Hexam. (6)

(6) Prima Parte, quæst. LXXIV. ar-

tic. 3. ad 4.

(7) Prima Parte, quæst. LXVII. ar-

tic. 4. ad 2.

„eriam dici non potest“, cet. Quid ergo lux illa erat? Lux ipsa Solis, informis tamen „quantum ad hoc“, vt loquitur ipse S. Thomas Auctorem librorum de diuinis nominibus sequutus, „quod iam erat substantia Solis, et habebat virtutem illuminatiuam in communi, sed postmodum data est ei specialis et determinata virtus ad particulares effectus“, cet.

Hanc lucem (qualiscumque demum illa fuerit, ne hic cum Recentioribus Philosophis, quies noua antiquis praeferre gentile est, manus conferamus) Deus diuisit a tenebris, „quia lucem fecit, cuius absentia tenebrae vocantur“, vt scite Augustinus (8): *sicutumque est vespero et mane dies unus*, vespera utique et nocte diem praecedentibus: quod Augustinianae interpretationi de die spirituali aptius conuenire intelligimus, quam alteri; perspicuum quum illud sit, vespertinam nempe cognitionem priorem matutina esse; dubium vero, diem naturalem et corporeum a luce, an a tenebris initium ducere. Et haec de primae diei operibus.

11.68.
pan. a.
9

Secundae diei opus sic a Mose describitur: „dixit quoque Deus, fiat firmamentum, et diuidas aquas ab aquis: et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab iis que erant super firmamentum: et factum est ita, vocavitque Deus firmamentum Coelum, et factum est vespero et mane dies secundus“. Firmamenti autem nomine non idem Patres et interpres intellexisse D. Thomas animaduertit (9); quorum deinde opiniones recitat, nec suum tamen iudicium interponit. Chrysostomi itaque sententia fuit, vt ex ipso Doctore Angelico colligimus, firmamentum hoc non aliud a Coelo esse, quod prima die una cum terra productum dicitur, licet die mundi secunda ad secernendas superiores aquas ab inferioribus a Deo addictus fuerit (10).

Esse illud Coelum sydereum diuersum a Coelo prima die creato Basilius, Ambrosius, aliquie. Patres sunt opinati. Nec defuere qui arbitrarentur illud esse aeris partem, „in qua condensatur nubes, et dicunt firmamentum propter spissitudinem aeris in parte illa: nam quod est spissum, et solidum, dicitur esse corpus firmum“, vt S. Thomas loquitur: quam opinionem quoniam Augustini (11), et

(8) Lib. i. de Genes. ad litt. cap. 5.
(9) Prima Parte, quæst. LXVIII. p. 4.
quatuor articulos.

(10) Homil. iv. in Genes.
(11) Lib. ii. de Genes. ad litt. cap. 4.

Hieronymi (12) auctoritate confirmatam iudicant, Recentiores Interpretes communiter amplectuntur.

Hoc ergo firmamento interiecto diuisit Deus aquas ab aquis. Quas vero aquas? Spirituales fortasse substancialias, sive Angelos? Origenis haec inepta interpretatio fuit, ex eo falso desumpta, quod aquae etiam ad Dominum benedicendum a Davide inuitentur: cam vero quinta Synodus OEcumenica anathematizauit Can. vi.

Superiores itaque aquas nubes intelligunt nonnulli in medio aere suspensas, e quibus pluviae gignuntur, inferiores maria, et flumina, quae sequenti die ortum habuerunt. Explicationem hanc post S. Thomam (13) probant ex Recentioribus plurimi.

De tertiae diei operibus haec Moses: „dixit vero Deus: congregentur aquae, quae sub coelo sunt in locum unum, et apparerat arida“, cet. Faretur vel ipse Augustinus (14) „soli Deo, qui nita iussit fieri cognitum esse... quomodo ingentia haec aquarum receptacula statim excavari potuerint“: quæstiōnem tamen instituit, querens, an forte rario aqua, velut nebula terras tegeret, quæ congregatione spissata est, vt ex multis partibus, in quibus arida posset apparet, cam nudaret? An terra longe, latèque subsidens potuerit alias partes concavas præbere, quibus confluentes, et corruentes aquæ recipierentur, et appareret arida ex his partibus, vnde humor abscederet? Ambrosius autem (15), quum memorasset illorum opinionem, qui hanc aquarum collectionem in locum unum terræ ipsi adscribabant, ita vt ipsa, Deo sic imperante, se repente dilatans sinum suum recipiens aquis præbuerit; ipse opinari videtur eiusmodi terræ dilatationem vehementissimum ipsarum aquarum motum esse. S. Thomas ex Augustino (16) tres alias interpretationes refert (17). Primam scilicet, eorum qui dicunt, aquas in maiorem altitudinem fuisse eleuatas in loco vbi sunt congregatae: nam mare altius est terra, vt experimento compertum est in mari rubro, sicut Basilus dicit (18): secundam adserentium, quod rario aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione densata est: tertiam illorum, qui ponunt poruisse terram partes quasdam concavas præbere, quibus aquæ recipierentur. Opinantur tandem Recentiorum non pauci factum a Deo tantæ aquarum vi locum, quoniam terra, cuius

(12) In Epist. ad Oceanum.

(13) Quodl. iv. art. 3.

(14) Lib. i. de Gen. ad litt. cap. 12.

(15) Lib. iii. Hexam. cap. 3.

(16) Ubi sup.

(17) Prima Parte, quæst. LXIX. art. 1. ad 2.

(18) Homil. iv. in Hexam.

ius superficies ex omni parte antea aequalis erat , profundissime in multis excavata est , alios eius partibus in altitudinem maximam elatis , vnde originem montes habuere.

Quo vero sensu a Mose recte dictum sit , Deum aquas in locum unum congregari iussisse , quum aquarum receptacula bene multa sint , nempe maria plura , lacus , flumina , paludes , cet. explicat S. Thomas (19) scribens : „omnes aquae unum terminum habent , scilicet , mare , in quod confluunt , vel manifestis , vel occultis meatibus : et propter hoc dicuntur aquae congregari in unum locum : vel dicit unum locum non simpliciter , sed per comparationem ad locum terrae siccae , vt sit sensus : congregentur aquae in unum locum , id est , seorsum a terra sicca : nam et ad designandam pluralitatem locorum aquae subdit , quod congregations aquarum adpellauit maria .”

Itaque aquis sic congregatis adparuit arida , quo nomine terra e sinu aquarum educta , vel ipsum terrae elementum intelligitur ; illa enim de qua primo facta mentio fuerat , inuisibilis erat , vptore substantiae permixta , vt ex Augustino (20) refert S. Thomas (21).

Adpartitionem autem terrae subsequuta est productio plantarum , stirpium , lignorum pomiferorum , herbarum , aliorumque terrae germinum : quam certe productionem eo sensu Augustinus interpretatur , vt non reapse et actu , sed caussaliter , et in semine haec fuisse producta , Deo virtutem terrae communicante , qua deinceps eiusmodi emitteret (22). Aliorum interea intelligentia est , eaque communior , terram Dei praecerto illico obtemperantem protulisse illa ipsa mundi die herbarum , plantarumque species , easque iam adulatas , plerasque etiam maturos fructus portantes ; quod ex his quae Moses subdit subinferri existant , nempe : „et prouulit terra herbam virentem , lignumque faciens fructum , et habens unumquodque sementem secundum speciem suam .”

Quarta creationis die , quam S. Thomas primam ornatus diem 15. adpellat , rebus , quas prima die fecerat , ornatum addidit Deus a Mose verbis illis expressum : „dixit Deus , fiant luminaria in firmamento Coeli , et diuidant diem ac noctem , et sint in signa et temporalia , cet. Siue autem luminaria hacc re ipsa , ac secundum substantiam quartam die condita a Deo fuerint ; siue in primo mundi die iam

(19) Loco citato ad 3.

(20) Lib. II. supra Genes. cap. 2.

(21) Ubi supra ad 3.

(22) Lib. V. de Genes. ad litt. cap. 4.

iani producta , nouo tantum ornatu , et virtute die quarta donata sint , quod difficile expeditu est : id unum certum omnino , exploratumque est , facta illa fuisse ad Dei gloriam enarrandam , ad mundi pulchritudinem , corporumque inferiorum commodum , ad hominum utilitatem. Verum consulto Moses postremam hanc caussam tantum indicavit , vt rudentem populum ab idololatria praeserueret , quemadmodum S. Thomas declarat (23). Ethnicorum autem , et Priscillianistarum stupidissima amentia fuit , animas hominum simul ac corpora syderibus adstringi , quam Bracarensis Synodus confixit (24), statuens : „si quis animas , et corpora humana fatalibus stellis credit adstringi , sicut Pagani , et Priscillianus dixerunt , anathema sit .” Eorundem sic idololatriam damnans , seu cultum Soli , Lunae , ceterisque syderibus tributum. Ab errore isto etsi quam longe sint Christiani Scriptores omnes , nonnullos tamen reperiit est , qui syderibus sensum , mentemque adtribuant. Nobis tamen S. Thomae auctoritas decretoria est , vt ea inanima omnino habeamus. Consultul ipse (25) : neque enim quaestione istam discutere huius loci ac temporis iudicamus. Verum oppositam isti sententiam rationem probabilitatis habere adnotare cogimur cum ipso Doctore Angelico : quin praetudicium vulum ei inferatur V. Synodi generalis decreto , quo anathema in eos fertur , qui astra animata esse , ac ratione praedita sentirent : non enim omnia , quae aut juris , aut Conciliorum decretarum continent , christiana doctrinae iudicia sunt , vt sapientissime admonet Cl. Melchior Canus (26). Itaque expendendum in eis diligentissime , quem in finem , ad quem errorum proscribendum , et ad quam stabilidem veritatem sint edita. Iam vero laudatum canonem in unum Originem latum fuisse , atque solam huius insectari doctrinam , vel ipse eorum titulus declarat ; adeo vt ne in minimo quidem Catholicorum opinio notetur , quos , vt S. Thomas ait (27) , sola consideratio nobilitatis corporum coelestium induxit ad ponendum corpora coelestia esse animata , quum in rerum genere viuentia omnia omnibus non viuentibus praef'erantur. Ad reliqua veniamus.

Quintam creationis diem secundam ornatus dicimus cum S. Thoma. In ea fuisse producta reptilia , ac volatilia animantia , nec non ad natantia aquis , adserit Moses scribens : „dixit etiam Deus : produc Tom. II.

- | | |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>(23) Prima Parte , quæst. lxx. art. 1. in corp. (24) Can. ix.
(25) Prima Parte , quæst. lxx. art. 3. in corp.</p> | <p>D cant
(26) Lib. v. cap. 1. quæst. 4.
(27) Quæst. 1. de Spirit. Creaturis , art. 6. in corp.</p> |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

*cant aquae reptile animae viuentis , et volatile super terram sub firmamento Coeli ; creauitque Deus cete grandia⁴⁴, cet. Haec autem producta a Deo fuisse non per veri nominis creationem , quae produc-
tio ex nihilo dicitur , sed per formationem ex materie intelligentium est; ita ut sit verborum Mosis sensus, Deum suo imperio aquas focundasse ad ista producenda. Atque haec est Magni Augustini de dupli-
ci animalium creatione sublimis sententia. Sed paulo adcurius his ex-
pendendum venit , quid cete grandium nomine intelligatur: Hebrei si-
quidem in Talmude habent , Deum in primordiis mundi duas immenses
molis Balaenas condidisse , cum quarum vna inequitans ludit quotidie
animi relaxandi causa , alteram vero caesam , ac sale conditam conser-
uat , vt , Messia sub mundi fine veniente , iustis omnibus solemine
coniuicium ex ea parer. Ast fabulosa ista sunt , et sultissima commen-
ta. Nec per cete grandia aliud oportet intelligere quam pisces ma-
ximos , Balaenas nempe , atque hypopotamos , quos in mari gigan-
tis compertum omnibus est. Quin tamen inde de magnitudine illarum
cum Plinio conueniamus , homine inquam fabularum amatore , quo
nomine cum Eruditu iam pridem vocare consueuerunt. De cetero
animalia omnia , et quae reptant , vt angues , et quae adnatant , vt
pisces , et quae volant , vt aves ex aquis producta dicimus , vel
quatenus in prima caussalium rationum conditione ex eis sint facta,
vel terram vniuersaliter sic adpellatam cum aquis opinantes , vt Au-
gustinus loquitur (27). Hinc illorum opinio ortum habuisse iudica-
mus , qui existimauere quadragesimali etiam tempore haud esse ver-
itatem quarundam volucrum esum : quae fuit etiam veterum plu-
riuum Monachorum sententia , vt memorat Concilium Aquisgranen-
se II. (28).

IP. 9. 72.
ane. Vnico.

Sextae diei opera verbis his Moses comprehendit : „dixit quo-
“que Deus : producat terra animam viuentem in genere suo , in-
“menta , et reptilia , et bestias terrea secundum species suas , cet . . .
“Et vidit Deus quod esset bonum , et ait , faciamus hominem⁴⁴ , cet.
Terrestrialium animalium primo loco productionem refert Moses , quae
sane non aliter ac praecedentium duplex est , in semine scilicet , et
in specie visibili: vocat autem illa animam viuentem , quo eorum
prae aliis perfectiorem vitae gradum designet ; perfectiora enim ter-
restria sunt auibus et piscibus , vt loquitur S. Thomas (29). Per iu-
men-

(27) Lib. ix. de Genes. ad litt.
cap. i. (28) Cap. LXXXVIII.

(29) Prima Parte , quaest. LXXII. ar-
tic. vnico ad 1.

menta vero , vel pecora domestica , animalia intelliguntur quae nos
adiuant ; per bestias animalia sacra , vt vrsi et leones , ac genera-
tim animalia omnia ; tandem per reptilia quae vel non habent pedes,
quibus a terra eleuentur , vt serpentes , vel tales habent , quibus pa-
rum eleuentur , vt lacertae et formicæ.

Pergit iis descriptis , Sacer Scriptor ad hominis formationem de-
scribendam , quam nos suo loco , et occasione nacta dabimus expre-
sam : quare a labore hoc modo abstinemus , ac breui hunc com-
mentariolo finem ponimus , aliorum pertractionem Interpretatio^s ac-
linquentes.

LIBER II.

De Angelorum natura et perfectionibus disputat.

Angelos a Deo fuisse prima creationis die products vna cum ad-
spectibili hoc vniuerso , atque lucis nomine a Mose in Genesi descri-
ptos Patrum Latinorum facile Princeps Augustinus auctor est (1):
quam sententiam , absque praecidicio tamen oppositae , quae Grego-
rii Nazianzeni , aliorumque Graecorum auctoritate fulcitur , praefe-
rendam docet S. Thomas (2). Illorum ergo , quos Magistros ac vi-
tae Doctores habuimus in terris , ducum sequentes , de Angelorum
natura , ac proprietatis , velut de primaeuo , et perfectiori creatio-
nis opere hoc loco disserere consulto decreuimus , atque exequimur.

CAPVT I.

Angelos esse multiplici arguento euincitur.

Existunt Angeli.

Ita student Scripturarum testimonia. Geneseos enim cap. xvi. legi-
mus , Angelum Domini adparuisse Agar ancillæ Sarai , vt ei persuad-
deret vt ad Dominam suam reuenteretur. Cap. item xix. duos An-

D 2

ge-

(1) Lib. ii. de Ciuit. Dei , cap. 33.
circa finem.

(2) Prima Parte , quaest. lxi. art. 3.
in corp.